

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Elemosina an  
cum fonte primo

- Illic ergo substantiam tuam colloca, ubi patriam habes.  
Vis autem scire, quia peregrinus es in hoc mundo? Audi prophetam dicentem:  
*Incola ego sum in terra, non abscondas a me mandata tua* (Psal. 118. 19).  
Quae est ergo insipientia, ut contentus sis super terram?  
id est, in alienis vis servire diabolo, cum possis in caelis, id est, in propriis, regnare cum Christo?  
*Ubi tinea et comestura exterminant, et ubi fures effodiunt et furantur.*  
Omnia bona mundi triplex interitus tollit.  
Aut enim a semetipsis veterascunt, et tineant, sicut vestimenta:  
aut ipsis dominis luxuriose viventibus comeduntur, sicut caeterae facultates:  
aut ab extraneis vel dolo, vel vi, vel calumniis, vel quolibet alio iniquo modo diripiuntur.  
Quia omnes fures dicuntur, qui per iniquitatem festinant aliena facere sua.  
Sed dices, Numquid omnes qui haec habent, perdunt ea?  
Ventilo vestimentum meum, et non tineat: parcius ago, et facultates meae non comeduntur:  
sollicite ago res meas, et non diripiuntur a furibus.  
Interim quidem sic dicam, quia si non omnes perdunt, tamen multi perdunt.  
Quid ergo? melius est super terram reponere, ubi incertus est conservationis eventus,  
an in caelo, ubi est certa custodia?  
Hic si non custodieris, perdes: si custodieris, timore et sollicitudine cruciaris.  
Illic autem, etsi dormis, a Deo servantur: et cum recordatus fueris, spe gratularis.  
Que stulticia est illic relinquere unde exiturus es, et illuc non praemittere quo iturus es? Quae est autem stultitia illic relinquere, unde exiturus es, et illuc non praemittere, quo iturus es?

Illic ergo substantiam tuam colloca ubi patriam habes.

← Pseudo-Chrysostomus, *Opus imperfectum in Matthaeum*, 15 (PG 56, col.719).

Crisostomus super illud Matthei VI.: Nolite thesaurizare et cetera.